

CAPUT XXVIII.

I. APOSIOPESIS

est, cùm sententiæ inchoatæ cursus reticendo vel abrumpendo orationem revocatur. *Latinè dicitur Reticentia, ut, Pſal. 6. Anima mea turbata est valdè, sed tu Domine usquequo? sc. differs auxilium. Æneid. 1. Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.*

(Dicitur Ἀποσιώπησις ab ἀποσιωπῶν, ἦσιω, obticeo, inter-sisto, rursus taceo. Cicero Reticentiam. Celsus obtinentiam, alii verò Interruptionem nominant. Ostendit autem hæc figura potissimum affectus vel iræ: ut: *Quos ego: sed motos, &c.* vel sollicitudinis & q. religionis: ut: *An ille hujus legis, quam Clodius à se inveniam gloriatus est, mentionem facere ausus est, & viro Milone, nec dicam consule? de nostrum enim omnium: non audeo totum dicere: vel transitus causa ad aliud, ut, Plura non audeo: ad finem propero, &c.)*

2. Aposiopesi subjicitur Eclipsis, cùm vocabula ad sententiam orationis complendam necessaria desunt: ut, *Ille nihil, scilicet respondet. Plura otiosus, scilicet scribam.*

(Eclipsis idem est quod ellipsis sive defectus, puta, vel legitima constructionis, vel elegantie orationis. Vbi notabis Ellipsin esse figuram Grammaticam, quatenus convenientia constructionis consideratur: quatenus autem affectus spectatur, Rhetorica figura propria est. Non rectè igitur in solidum figuris Grammaticis à quibusdam adsignatur. Ellipsews etiam species est Ἀναπόδοτος, hoc est, non redditum, cuius